



# INDEX ALPHABETIC

<b>A.</b>	
De obsequiandi iure	no. 11.
Julio Senatu.	13.
Agonifantium e fabis	18.
Athenis reb. utendi facult.	6.
Anagyria.	19.
Anticresi.	19.
Anatocismos.	19.

<b>C.</b>	
De Camerati Senatu.	13.
Circumstantijs.	17.

<b>D.</b>	
De Difamacione.	15.
Dei invocoe.	19.
De hereditate iure.	ii. s. 19.

<b>E.</b>	
De Fabis agonifantium.	18.

<b>F.</b>	
De Familijs.	no. 4.
Familijs illustriu successio.	5.
Facultate utendi reb alienis.	6.

<b>I.</b>	
De Impij pp. Superioritate.	3.
Illud. Fam. successio.	5.
iure Monetaru.	8.
— Sigilloru.	9.
— Rapide.	10.
— aggratiandi.	11.
Indicijs q. n. veni.	12.
iuram. Calumnie.	17.

<b>L.</b>	
De Lege Regia.	2.
Landfalsijs.	7.



15  
DISPUTATIO  
*De*  
NOMINATIONE,

*Ad*  
L. II. Cod. Vbi in rem actio  
exerceri debeat.

*Quam*  
Auctoritate & Decreto  
Amplissimi Jureconsultorum Ordinis,

PRÆSIDE  
WOLFGANG-ADAMO *Lauterbach/*  
U. J. D. & Professore,

*Pro privilegiis Doctoralibus  
in utroq; iure consequendis,*

Ad diem August,

*Publico examini subicit*

IOHAN: BERNHARD LEO,  
Wilstermarfus.

TUBINGÆ,  
Typis JOHANN: ALEXANDRI CELLI.  
Anno M. DC. LIII.

16.



DEUTSCHLAND  
IN  
EINER  
KURZEN  
HISTORISCHEN  
SKIZZE

VON  
L. II. GÖTTLICH

LEIPZIG  
BEI  
VERLAGS-BUCHH. ADAM GRIEBNER

1811





CUM DEO!

## THESIS I.



**N**OMINATIONIS, pro subjecta materia & causa, propter quam fit, variaz sunt Species: verb. gr. Nominatio Filii, de qua, in Nov. 117. cap. 2. Didac. Covarruv. de matrim. part. 2. §. 7. Ioseph. Mascard. de probat. conclus. 791. Myns. ad cap. per tuas. extra de probat. num. 17. & seqq. Professorum, Dn. Carpzov. in Iurispr. Consistor. lib. 2. t. 25. d. 399. & seqq. Ministrorum Ecclesiaz, Carpzov. d. tr. lib. 1. t. 2. def. 22. & seqq. Balthas. Conrad. Zahn. tr. de Iure & Iurisdic. Municip. cap. 29. Petr. Gregor. Syntag. Iur. univers. lib. 17. cap. 12. num. 24. Potiorum ad tutelam & alia munera, l. 2. ff. de fidejuss. & nominatoribus & hered. tutor. l. un. C. de potioribus ad munera nominandis. & ibi Perez. l. 45. C. de decur. l. 2. C. de pericul. nominatorum. Magistratum, David Mevius, ad Ius Lubec. lib. 1. tit. 1. artic. 7. n. 11. & seqq. Item Nominatio socii criminis, Dn. Carpzov. tr. Criminal. part. 3. quest. 121. num. 21. & seqq. & Authorum, à quibus quis causam habet suae possessionis. Fit autem hæc Authoris Nominatio iterum non iisdem ex causis: sed primò, ad purgandam criminis suspicionem: v. c. si apud aliquem res inveniatur furtiva; eo ipso possessor in delicti incidit suspicionem; l. 2. C. de furt. Ordin. Crim. Caroli V. art. 43. & 38. ad quam evitandam & tollendam, Authorem suum Nominare & demonstrare tenetur. l. 5. C. eod. vid. Dn. Carpzov. tr. Criminal. part. 3. quest. 122. num. 39. & seqq. Secundò, ut Nominatus Author Nominantem contra adversarium defendat, aut omne damnum refundat; quæ Nominatio communiter dicitur Litis denuntiatio, sive Authoris Laudatio. l. 63. §. 1. ff. de Eviction. Iohan. Emeric. à Rosbach. tit. 48. num. 3. Specul. tit. de prim. decret. §. restat nunc. num. 16. Iohann. Baptist. Schwarzenhaler. lib. 1.



## DISPUTATIO

*Process. Iudic. 6. act. Iud. prepar. Mevius ad Ius Lubec. lib. 3. tit. 6. art. 10. num. 8.* Tertio, Ut Reus Nominans lite instituta eximatur, & Judicium in Authorem Nominatum transferatur. Quæ ultima species simpliciter ac κατ' ἐξοχὴν Nominatio vocatur; & propter frequentem ejus usum, de quo *Mynsing. ad cap. ult. §. fin. num. 25. extra ut lite non contestata. Menoch. de arbitrar. Iudic. quæst. casu, 476.* hujus tractationis erit argumentum.

### II.

Cum verò sedes hujus materiæ sit in *l. 2. C. ubi in rem actio exerceri deb.* quam Bartolus dicit singularem, & in toto corpore Juris alibi non reperiri; Castrensis quotidianam, Menochius per quam utilem. *Vide etiam Sibarid. ad d. l. 2. in pr. Mynsing. ad cap. ult. n. 24. & 25. extra ut lite non contestata. Menoch. de arbitrar. Iud. quæst. casu 476.* ea propter ipsius verba hîc præmittâ.

L. II. C. Ubi in rem actio exerceri debeat.  
Imp. Constantinus A. ad universos Provinciales.

Si quis alterius nomine quolibet modo possidens immobilem rem, litem ab aliquo per in rem actionem sustineat: debet statim in judicio dominum nominare: ut sive in eadem Civitate degat, sive in agro, sive in alia Provincia sit, certo dierum spatio à Judice definiendo, eoque ad notionem ejus perducendo, vel ipse in loca, in quibus prædium situm est, perveniens, vel procuratorem mittens, Actoris intentiones excipiat. Si verò post hujusmodi indultum tempus minimè hoc, quod dispositum est, facere maluerit: tanquam:

quam:



quam lite, quæ ei ingeritur, ex eo die, quo possessor ad iudicium vocatus est, ad interrompendam longi temporis præscriptionem, contestata: Iudex, utpote domino possessionis nec post huiusmodi humanitatem sui præsentiam faciente, edictis legitimis proponendis eum citare curabit: & tunc in eadem voluntate eo permanente, negotium summatim discutiens, in possessione rerum Actorem mitti non differet, omni allegatione absenti de principali quæstione servata. Dat. x. Kal. August. Basso & Ablabio Conss.

## III.

Est autem hæc Nominatio nihil aliud, quam Actus Judicialis, quo Reus Reali Actione ob rem alieno nomine à se possessam conventus, Dominum rei indicat, simulque petit, ut ipse dimittatur, & lis in illum transferatur.

## IV.

Author huius Nominatonis fuisse videtur Constantinus Imperator; cuius constitutionem non tantum Imperator Justinianus suo Codici inseruit, ac eo ipso illam approbavit, suamque fecit: Vide Constit. Cordi nobis de Emendat Cod. §. 4. sed etiam Innocentius III. Pontifex sacravit, ac capitulo ultimo, extra. ut lit. non contestat. adjecit. Hermannus Vulteius, ad h. l. 2. C. num. 3. etiam ante Constantinum idem Juris fuisse existimat; sed nullum huius suæ opinionis fundamentum adducit. Nobiscum sentit Sichardus, qui ad hanc l. 2. num. 3. expressè scri-



bit., ante hanc legem conditam, possessorem rei alienæ necesse habuisse, Judicium suscipere cum eo, qui contendit rem suam esse.

V.

Huic autem Nominationi causam dedisse censemus, quod Reales Actiones regulariter dentur contra quoscunque possessores, qui rei restituendæ facultatem habent. Nam quilibet, inquit Hugo Grotius, *in tr. de Iur. Bell. & Pac. lib. 2. cap. 10. num. 1.* qui rem nostram habet in sua potestate, quantum in se est, efficere tenetur; ut in nostram potestatem redeat. Introducto enim dominio, hæc quasi Societas inter dominos introducta est, ut qui rem alienam in sua haberet potestate, illam domino redderet. Et quia Jus in re, ex quo Reales Actiones oriuntur, rem ipsam afficit, ac quodammodo devincit, *H. Hahn. de Iure rerum conclus. 13.* & cum ipsa re ad quemcunque transit; eapropter illud etiam à quocunque possessore vindicari potest; & Actio quodammodo contra rem ipsam dirigitur. *l. 19. ff. de Iure Fisci. l. 2. Ibi: cum ejus vindicatio, non personam obliget, sed rem sequatur. C. si unus ex pluribus Hered. Georg. Frantz. in Comment. ad ff. tit. de Rei Vindicat. num. 12.* Nihilque interest, Possessor sive civiliter, sive naturaliter possideat, aut tantum alterius nomine in possessione sit; unde etiam Commodatarius, Depositarius, Colonus & similes, Realibus Actionibus jure conveniuntur. *l. 9. ff. de Rei Vindicat.* (Nam vulgata lectio licet variet, affirmativa tamen confirmata est editione Florentina) *l. 31. ff. de pos. vide tamen Hillig. ad Donell. Eucleat. lib. 20. cap. 3. l. G. & Dn. Georg. Frantz. in Comment. ff. tit. de Rei Vindicat. n. 26. & seq. Bachov. tr. de Action. disp. 2. thes. 15.* Ne verò hi ipsi propter rem alienam maxima litis dispendia subire cogantur; (etenim verissimum est commune proverbium:

*Litiget, adificet, qui vult citò pauper haberi.*

& satis lucrari eum, qui à lite discesserit. vide *Parthen. litigios. lib. 1. cap. 4.*) proinde ipsis hæc potestas dominum rei controversæ Nominandi à Constantino Imp. concessa videtur. Quod ipsum etiam utilitas ipsius Domini suadet; ut nim. ipse eo melius rem suam defendere possit, & propter possessoris ignorantiam, vel negligentiam nullum damnum incurrat. *Berlich, part. 1. Conclus. 24. num.*

24. num.



24. num. 114. Sic hard. ad l. 2. C. Vbi in rem actio num. 3. Myns. ad  
cap. ult. ext. ut. lit. non contest. num. 35.

## THES. VI.

Nominant rei controversæ dominos, qui alterius nomi-  
ne quolibet modo rem immobilem possident, & li-  
tem ab aliquo per in rem actionem sustinent. l. 2. C.  
Vbi in rem act. exerc. Ut itaq; quis Nominare possit, requiritur primò  
UT IS REM CONTROVERSAM POSSIDEAT. d. l. 2. Et-  
enim qui rem planè non possidet, ille nec Authore Nominare pot-  
est, nec possessorem demonstrare tenetur; sed ipso jure contra  
illum Actio cessat, & nuda allegatione, *Tibi contra me non compe-  
tit Actio*, Actor repellitur. In Realibus enim Actionibus, sicuti  
ex parte Actoris jus in re adesse debet; ita ex parte Rei, Possessio  
necessaria est. l. 25. ff. Oblig. & Act. l. 36. pr. ff. R. V. Unde et-  
iam possessio in rem Actionem Adversario parere. l. un. C. de a-  
lien. Iud. mutand. causa facta. & Actio Realis, quatenus scilicet  
ut intentanda & instituenda consideratur, ex possessione esse di-  
citur. l. 24. §. ult. ff. de Iudic. vide Bachov: tr: de Actionibus disp.  
2. th. 14. Possessionis autem vocabulum hîc latè accipitur, ut  
etiam nudam simplicem & naturalem detentionem comprehen-  
dat, ut ex seq. thes. apparebit.

## THES. VII.

Secundò, ut quis Nominare possit rei controversæ domi-  
num, requiritur, ut ALIENO NOMINE POSSIDEAT. l. 2.  
C. Vbi in rem actio. Cap. f. §. fin. X. ut lite non contest. Nam suo no-  
mine possidentes, hoc est, qui putant se esse dominos ex causa,  
quam ab Authore habent; ut Emptores, vel ex permutatione rem  
habentes &c. Authorem non Nominant, sed Authori, à quo cau-  
sam habent, ut liti adsit, & ejusdem periculum præstet, litem de-  
nunciant. l. 1. C. Vbi in rem actio. l. 49. pr. ff. de Iudic. Rosbach.  
prax. Civil. tit. 48. n. 5. Mevius ad Ius Lubec. lib. 3. tit. 6. artic.  
10. n. 5. Job. Baptist. Schvartzenthaler. lib. 1. process. Iudic. action.  
prepar. 6. in pr. ALIENO autem Nomine possident Deposi-  
tarii, Commodatarii, Coloni, Inquilini, & Precari-  
um habentes. l. 3. §. 12. l. 25. §. 1. ff. de A. & A. Poss. qui  
ipsi simpliciter possidere negantur in l. 3. §. 20. l. 10. §. 1. l. 18. l.  
41. ff.



21. ff. de A. & A. Poss. l. 6. §. 1. de precar. l. 9. ff. de R. V. & possidenti saltem ministerium præstare, ac in possessione esse, remque nudè detinere dicuntur. d. l. 18. ff. de A. & A. P. d. l. 9. de R. V. l. 31. §. 3. ff. de Vsurp & Vsucap. Unde Cajus Jctus, Generaliter, inquit, quisquis omnino nostro Nomine sit in possessione, nos possidere videmur. l. 9. ff. de A. & A. P. In lata tamen significatione, illorum quoq; detentio, interdum simpliciter, interdum Naturalis vocatur Possessio. l. 2. C. Vbi in rem actio. cap. ult. x. ut lit. non contest. l. 7. §. 11. ff. Commun: divid. l. 2. §. 1. ff. pro hered. l. 38. §. 7. ff. de V. O. Quin itaq; ipsi Dominum, cujus nomine possident, jure Nominant, nemo dubitat. Rosbach. praxi. Civil. tit. 48. n. Berlich. part. 1. conclus. 24. n. 115. Vmm. disp. 11. ad process. th. 9. num. 39. ubi idem quoq; de Sequestro docet. Nam & hic alieno nomine possidet, & regulariter in possessione est, remque tantum naturaliter detinet. l. 39. ff. de A. & A. P. A. Hahn, ad Wesemb. tit. depos. num. 6. Georg. Frantz. k. in Comment. ad ff. d. tit. num. 15. Dn. Bocerus, Class. 2. disp. 10. th. 14. Et falsum est, quod Treutlerus scribit, contra Sequestrum non dari Rei Vindicationem; uti satis demonstrat Bachov. ad Tr. Vol. 1. disp. 15. th. 4. lit. C. & in tr. de Action. disp. 2. th. 15.

## VIII.

De Creditoribus pignoratitiis, Superficiaryis, Usufructuariis, & Emphyteuticariis, an illi quoq; rerum dominos Nominare possint, magna est inter Doctores disceptatio. Nonnulli enumeratis personis Nominandi potestatem denegant; dicentes, illas non alterius, sed suo nomine, propter Jus, quod in re oppignorata, superficaria, usufructuaria & emphyteuticaria, habent, possidere. Bachov. ad Tr. Vol. 1. disp. 15. th. 4. infn. Alii verò simpliciter dictis personis Nominandi Jus concedunt. Nobis placet distinguendum sententia: An Creditores pignoratitii Emphyteuticarii, Superficiarii & Usufructuarii conveniantur ratione Juris in re, quod ipsi habent; An verò ratione proprietatis & domini, quod ad debitorem & fundi dominum pertinet; An de utroq;. Primo casu, e. g. Si Usufructuarius de Jure suo actione confessoriâ conveniatur, eo prætextu, ac si usufructus ad Actorem pertineat, frustra Nominatur proprietarius. Siquidem Reus,



Reus, hoc in casu, rem controversam (usufructum scilicet) non alterius, sed suo nomine, & tanquam rem suam quasi possidet. Quicumq; autem convenitur propter rem propriam, quam ipse suo nomine, verè vel quasi possidet, ille alium Nominando Judicium declinare nequit. Deinde dicitur *in l. 2. C. ubi in rem act.* quod Dominus rei controversæ Nominari debeat. Hoc autem in casu, non proprietarius, sed ipse conventus Reus est dominus rei controversæ, Usufructus nim; Ergo ipse proprietarius Nominari nequit. *Vult. ad d. l. 2. num. 7. Berlich. part. 1. concl. 24. num. 116. Rosbach. prax. Civil. tit. 48. num. 14. Mynf 2. observ. 58. num. 5. & 6. Vmm. disp. 11. th. 9. num. 39. Hillig. ad Donell Enucl. lib. 20. c. 3. lit. H.* Secundo casu, si, e. g. quis ageret contra Usufructuarium, tanquam rei possessorem, & nudam tantum vindicaret proprietatem, ipse Usufructuarius proprietarium Nominando lite eximitur. Etenim, hoc in casu, non est controversia de jure ipsius Rei, sed de proprietarii jure agitur; & respectu proprietatis, de qualis est, ipse proprietarius suo nomine, usufructuarius verò & similes alieno nomine, & rem alienam possident. Unde Ulpianus, *in l. 6. l. 2. ff. de precar. Nam & Vsufructuarius, inquit, & Colonus, & Inquilinus sunt in pradio & tamen non possident.* Ne itaq; Usufructuarius, & similes propter jus tertii dispendia litis subire cogantur, æquum erit, illos dominum rei controversæ Nominantes audiri. *Vultej. ad l. 2. num. 6 & 7. Vmm. d. l. num. 39. infn. Berlich. part. 1. concl. 24. num. 166. Obrecht. disp. 12. part. 1. th. 170. Sichard. ad h. l. num. 8.* Enim verò si Actor ab Usufructuario, Superficio, & similibus, plenum dominium vindicaret, qui est tertius casus, Reus proprietarium, & rei dominum quidem Nominare potest, ad hoc nimirum, ut Nominatus veniat, & Jus suum, proprietatem scilicet defendat; Nominans verò à lite in totum non eximitur; sed & ipse Jus suum defendere tenetur. Cum illius quoq; Jus, quod ipse suo nomine, & tanquam rem suam possidet, in litem deducatur; cujus respectu cessat Nominatio. *Vultej. d. loc. n. 7. Ubi hoc ipsum ita in foro receptum esse affirmat. Obrecht. d. disp. 12. part. 1. thes. 172.*

IX.

De Vasallo idem, quod de Superficiario, Usufructuario & Emphyteuticario dictum est, respondent supra laudati Doctores,

B

Ummius





DISPUTATIO

Umnius, Berlichius, & Vultejus, dd. ll. quibus accedit Sichard. ad d. l. 2. num. 8. in f. illum nim. si de nuda proprietate agatur, dominum Nominare posse. Sed hanc sententiam dubiam facere videtur *cap. un. de controver. inter Vasall. & aliam de benefic:* de qua agemus in ipso conflictu. Dein prædictis personis, Creditoribus, Emphyteuticariis, & similibus, etiam maritum, ratione rei dotalis, annumerant Berlich. d. *Conclus. 24. n. 116.* & Mynf. ad 6. ult. n. 41. extr. ut lite contestata. atq; in ipso quoq; distinguendum esse existimant, an de jure suo, an verò de ipsa re sive dominio & proprietate rei conveniatur. Verùm, invitâ Jurisprudentiâ nostrâ. Maritus enim rem dotalem in totum suo nomine possidet, & ipsius dotis dominus est. *pr. 1. quibus alien. lic. l. 75. de Jur. dot. l. 13. §. 2. ff. de fundo dotal.* Proinde de re dotali conventus, uxorem nullo casu Nominare potest. *arg. l. 69. C. de R. V.*

X.

2  
Cæterùm si Reus conventus se alieno nomine possidere prætendat, dominumq; Nomet, ac eapropter ad actionem respondere recuset; an ipsius assertioni statim fides adhibenda sit; an verò Nominans, hanc suam allegationem probare teneatur, controversum est inter Doctores. Hermanus Vultejus, ad h. l. 2. n. 13. narrationi Rei standum, & Nominanti, quoad effectum denuntiationis, sine probatione credendum affirmat; simul tamen fatetur, contrariam communem esse; pro qua etiam pugnat Sichardus ad l. 2. num. 9. Nam quicumq; rem detinet, ejusdemque restituendæ facultatem habet, ille ipso jure Rei vindicatione conveniri potest, & ad Actionem institutam respondere renetur. *l. 9. ff. de R. V.* Si ipse verò illam Actionem ipso jure contra se competentem repellere, & in alium rejicere velit, necesse est, ut exceptionis loco, se alterius nomine rem controversam possidere, opponat. Ea propter cum Actoris intentio, hoc casu, ratione Rei sit fundata; & Reus per modum exceptionis aliquid affirmet, illum suam allegationem omninò probare oportet. Ei enim incumbit probatio, qui dicit, non qui negat. *l. 2. ff. de probat.* Et Reus non minus, quàm Actor, suæ intentionis fundamenta probare debet. *l. 19. pr. ff. eod.* Quod ipsum eò magis in nostro casu procedit, utpote quo contra Rei prætensionem Juris pugnat præsumit. Quilibet enim quod tenet, suo nomine possidere præsumitur.



*Barbosa. lib. 14. axiom. locuplet. cap. 44. axiom. 2.* Hæc communis Dd. sententia, quamvis rationi Juris satis conveniens esse videatur: *Vmm. disp. 11. th. 11. num. 48. ibi: qua opinio in puncto Juris videtur verior.* ab illa tamen in Judiciis Germaniæ usu recessum esse, scribit Vultejus: *d. num. 18. in fin. & Vmm. d. loc.* ita tamen, ut si calumniæ adsit suspicio, Nominanti Juramentum Calumniæ deferri, vel etiam Nominatio rejici possit. vide *Hilliger. ad Donell. Eucleat. lib. 20. cap. 3. tit. 1.* Et si Reus se alieno nomine possidere dixerit; Actor verò contrarium sponte probaverit, in pœnam mendacii, ipse possessione privatur, illaq; in actorem, licet rem suam esse non demonstraverit, transfertur, secundum formam *l. f. de R. V. vide Sichard. ad h. l. 2. n. 9. & 10. Ioan Baptist. Schvartzenthaler lib. 1. process. Judic. act. prepar. 6. Hillig. ad Donell. Eucleat. lib. 22. cap. 3. lit. 1.*

## XI.

Tertio requiritur, ut alterius Nomine possidens litem ab aliquo PER IN REM ACTIONEM SUSTINEAT. *l. 2. C. Vbi in rem act. Schvartzenthal. lib. 1. process. Jud. act. prepar. 6.* Quo ipso statim excluduntur Personalia Iudicia, in quibus Nominatio locū habere nequit. Supra enim dictum est, hoc Nominationis remedium introductum esse, ne alieno nomine possidentes de re aliena litigare cogantur. Sed hæc ratio deficit quoad personales actiones, quibus regulariter tantum agitur cum illis, qui Actori legitima ex causa ad rei præstationem obligati sunt; non verò cum aliis, etiamsi ipsi rem præstandam nomine debitoris possideant. Obligatio enim personæ adhæret, nec rem, aut ejus possessionē, sequitur. *§. 2. l. d. Action. l. 25. de O. & A. l. 15. C. de R. V. l. f. §. f. ff. de Contrah. Empt.* Hinc si Titius rem Cajo ex venditione, permutatione, aut stipulatione debitam, Sempronio commodaverit, locaverit, precariò concesserit, vel apud illum deposuerit; aut etiam in emphyteusin dederit; Cajo contra Sempronium, nulla competit actio; ut proinde frustra quærat, an Sempronius Authorem Nominando sese lite eximere possit. Nam tunc demum de Nominatione rectè quæritur, si contra Reum actio instituta ipso Jure teneat. *Berlich. p. 1. conclus. 24. num. 122. Vult. ad h. l. 2. num. 12. Vmm. d. disp. 11. obf. 9. num. 40.* ubi à prædicta sententia excipit Actiones Per-



sonalis in rem scriptas; quæ licet ex obligatione quoque pro-  
veniant, & propterea personalibus rectissime annumerentur actio-  
nibus; in eo tamen aliquid à natura Realium Actionum partici-  
pant, quod rem sequantur, & sub qualitate vindicationis,  
contra rei possessorem jure instituantur. *Bachov. Vol. 2. d. 25. th. 5.  
lit. c. pag. m. 705.*

## XII.

De Actionibus, quæ ratione causæ Efficientis Mixtæ sunt,  
& partim ex jure in re, partim ex jure ad rem oriuntur, communis  
est Doctorum sententia, quod illis conventi possessores, Domi-  
num, cujus rem possident, Nominare valeant. *Vultej. ad d. l. 2.  
num. 11. Berlich part. 1. conclus. 24. num. 121. Bartol. in d. l. 2. n.  
21. Bald. ibid. num. 12. Salicetus ad h. l. 2. n. 7.* in hac quæstione  
distinguit, an Actio Mixta omnimodam naturam Realis Actionis  
habeat, ita ut contra quemcunque possessorem jure instituat; an  
verò non omni modo naturam Realis sequatur. In priori casu  
communem sententiam admittit, in posteriori verò ab illa recedit.  
*Ummius d. disp. 11. th. num. 40.* quoad hereditatis petitionem com-  
muni sententiæ adstipulatur; de reliquis verò Mixtis Actionibus  
Familix eriscundæ, Communi dividundo, & Finium regun-  
dorum, ipse dubitat, an in illis Nominatio locum habeat. Nos  
hac vice pugnabimus pro communi sententia.

## XIII.

De Iudiciis possessoriis, maxima quoque est inter Do-  
ctores controversia, An in illis alieno nomine possidentes domi-  
num Nominare possint? Negantibus accedit *Vultejus, ad h. l. 2.  
num. 13.* ubi illorum sententiam in Iudicio Camerali, & aliis ple-  
risque Germaniæ Iudiciis pro regula haberi scribit. Affirmantes  
sequitur *Hilliger, ad Donell. Eucleat. lib. 20. cap. 3. lit. I. Rosbach.  
praxi Civil. tit. 48. num. 12. Jacobus Menochius, de recuperand.  
possess. remed. 15. num. 485. & seq.* ubi hanc sententiam crebriori  
interpretum calculo approbatam esse testatur. Tertia distinguen-  
tium sententia de Jure videtur tutissima, ita ut Nominatio cesset  
in Interdictis, quæ dantur propter proprium alicujus factum, &  
ex contumacia, vel delicto descendunt, ut est Interdictum unde  
vi. Nam hoc interdictum Personalibus annumeratur Actionibus,  
*H. Hahn, ad Wesemb. de interdict. num. 3. versu. Actiones extra ordi-  
naria.*



*varia.* nec contra tertium possessorem, qui non deiecit, competit. l. 7 ff. de Vi & vi armat. Bachov. ad Tr. Vol. 2. disp. 25. th. 5. lit. E. pag. 705. Ipse autem spoliator, cum de proprio facto conveniatur, dominum Nominans minime audiendus est. Menoch. d. remed. num. 487. Hartman. Pistor. observ. 85. Umm. d. disp. 11. th. 9. num. 40. ferè in fin. Si verò Judicium Possessorium detur ratione rei, quam Reus alieno nomine possidet, Nominationem omnino admittendam esse, docet Ummius d. loc. H. Pistoris, d. l. & Menoch d. remed. 15. num. 185. & seqq. ubi in specie hoc affirmat de Remedio c. redintegrandæ.

## XIV.

Ex eo, quod in præcedenti thesi 5. dictum, & ex l. 2. C. ubi in rem act. relatum est, illos scil. Nominare posse, qui alieno nomine REM IMMOBILEM possident; nonnulli quartum extruunt requisitum; docentes, tantum immobilium Possessores dominum Nominando Judicium declinare posse. gl. ad d. l. 2. in verb. Immobilem in pr. Verum ab hac ipsa sententia Dd. communiter recedunt, & propter identitatem rationis, eandem Nominandi potestatem etiam mobilium possessoribus permittunt, uti videre est apud Obrecht. disp. 12. part. 1. thes. 176. Umm. disp. 11. ad process. th. 9. num. 38. Vultej. ad d. l. 2. num. 9. Sichard. ad d. l. 2. C. num. 6. Berlich. part. 1. Conclus. 24. num. 118. Rosbach. praxi Civili tit. 48. num. 12. Atque hanc sententiam frequentius obtinuisse, testatur Myns. ad cap. ult. num. 36. extra ut lite non contestat. Idem quoque statuunt de rebus incorporalibus, Vultej. ad d. l. 2. num. 8. Sichard. ad d. l. num. 7. 8. ubi addit Exempla. Umm. d. num. 38. ubi simul explicat, an & quatenus subditus ratione subjectionis, ab alio conventus dominum Nominare possit.

## XV.

Enimverò an prædictæ personæ necessariò & ex necessitate Juris Nominare teneantur Dominum, de eo quoque non omnium eadem est sententia. Nobis illorum arridet sententia, qui hanc Nominationem necessitatis esse affirmant; per d. l. 2. ibi: DEBET. verum non absolutæ, sed hypotheticæ; Hillig. ad Donell. Enucleat. lib. 20. c. 3. lit. 1. ibi sed necessitatem innuit, non equidem præcisam, sed consequentiam, nisi condemnari velit: ita ut alterius nomine possessorem dominum Nominare oporteat, si ipse Judicium declinare, & sese à maximis litis incommodis exi-



mere voluerit. Ast si iudicium subire, & Actori respondere amaverint, quin hoc facere & domini Nominationem omittere possint, nulli dubitamus. Ad hoc enim ut Iudicium Reale subsistat, sufficit ex parte Rei etiam naturalis possessio, ac nuda rei detentio. *p. l. 9. ff. de R. V. quæ per h. l. 2. C. ubi in rem Actio, non est correctæ.* Hæc enim *l. 2.* non denegat Actionem in rem contra eum, qui alterius nomine possidet, sed ei tantum potestatem facit, Authore Nominato, lite se eximendi, inquit Hil- lig. *ad Donell. Enucl. lib. 20. cap. 3. l. f. Bachov. ad Tr. vol. 1. disp. 15. th. 4. L. B. in f. Vult. ad d. l. 2. num. 3. vide Myns. ad cap. ult. num. 42. & seqq. extra ut lit. non contest. Sichard. ad d. l. 2. num. 5. Salicet. ad l. 2. num. 4. Bachov. ad Tr. Vol. 1. disp. 15. thes. 4. lit. D.*

## XVI.

Et hæc de Personis Nominantibus. Veniamus ad Personas Nominandas, quæ sunt rei controversæ DOMINI; *l. 2. Ibi: DEBET STATIM IN JUDICIO DOMINUM NOMINARE C. ubi in rem act. cap. ult. extra ut lit. non contest.* quorum res Nominantes possident. Nihilque interest, hi Domini, cujuscunque existant conditionis. *arg. d. l. 2.* sive sint præsentis, & in eadem civitate degant; sive absentes & in aliis locis commorentur. *d. l. 2.* Nominans autem hoc ipsum, Nominatum dominum esse, probare non tenetur. In dubio enim ipse, tanquam civilis possessor, dominus præsumitur. *l. 2. C. de probat. Bachov. ad Tr. Vol. 1. disput. 15. thes. 3. lit. F. Barbos. lib. 14. cap. 44. axiom. 18.* Si plures sint Rei controversæ Domini, ut Socii, vel qui rem communem habent, omnes & singuli Nominandi sunt. *arg. l. 62. §. 1. ff. de Evict.*

## XVII.

Fieri debet hæc domini Nominatio IN JUDICIO. *l. 2. Ibi. debet statim IN JUDICIO dominum Nominare. C. ubi in rem act. cap. fin. §. ult. extra: ut lite non contestat.* Extra Iudicium, si Reus Actori indicaverit, se non suo, sed v. c. Titii nomine possidere, pro legitima Nominatione non habetur; nec effectum legitimæ Nominationis producit. *Vult. ad d. l. 2. num. 22. Mynsing. ad d. cap. ult. num. 37.*

Acci-



## XVIII.

Accipitur autem hinc Vocabulum Iudicii in lata significati-  
one. Propriè enim Iudicium demum incipit à litis contestatione.  
*l. 15. ff. rem ratam haberi. Caspar. Zigler. comm. conclus. ad aure-  
ream prax. Nicol. Calvol. in pralad. de instant. num. 6. & seqq.*  
Hic verò, uti aliis quoque in locis, etiam Iudicii præparatoria  
comprehendit. Reus namque, ut ipse lite eximatur, dominum  
Nominare tenetur STATIM d. l. 2. C. ubi in rem act. cap. ult.  
extra: ut lit. contest. h. e. In principio litis, & ipso termino com-  
paritionis, quo Reus vocatus est in Iudicium; antequam alias  
opponat exceptiones; atque adeò multò magis ante litem con-  
testatam. Hæc siquidem Nominatio Domini est quasi exceptio  
declinatoria fori. *Menoch. de recuper. poss. remed. 15. num. 491.*  
*Sichard ad h. l. 2. num. 5. de qua generaliter Impp. Honor. &*  
*Theodos. in l. f. C. de Exception. Prescriptiones fori in principio*  
*litis à litigatoribus opponendas esse, legum decrevit autoritas. Vult.*  
*ad d. l. 2. num. 20. Hilliger. ad Donell. Eucleat. lib. 20. cap. 3. lit. I.*  
*Myns. ad d. cap. ult. num. 44. Menoch de Arbitr. Iud. quest. cas.*  
*476. Vmm. disp. 11. thes. 11. num. 47. Berlich. part. 1. Conclus. 24.*  
*num. 113. & 114. Aliter se res habet in litis Denuntiatione, quæ*  
*etiam post litem contestatam fieri potest l. 29. §. f. ff. de Eviction.*  
*Carpzov. part. 1. Iurispr. forens. Const. 3. def. 29. & lib. 3. tit. 2.*  
*Respons. 19. num. 1. Berlich. d. Conclus. 24. num. 79. & seqq. Vide*  
*Jus Wurtemb. part. 2. tit. 15. §. Es soll auch & seq.*

## XIX.

Differentia specifica qua hæc Nominatio ab aliis speci-  
ebus distinguitur, dependet à fine. Fit autem hæc Nominatio  
cum in finem, ut Nominans dimittatur, & à lite stricto  
Iure suscipienda liberetur; Dominus verò rei contro-  
versæ, illam excipiat, ac ipsemet Ius suum defendat.  
*l. 2. C. ubi in rem actio. Vmm. disp. 11. thes. 11. num. 49. Ibi: ni-*  
*mirum à parte Nominantis ideò Nominatio suscipitur, ut litem motam*  
*à se avertat, atq; ita ab Instantia absolvatur, à parte Nominati ve-*  
*rò, ut in ipsum lis transferatur.* Atque hæc ratione discernitur  
quoque à Laudatione sive Litis Denuntiatione, quæ Laudantem  
& Denuntiantem non eximit à lite, nec illam in laudatum Au-  
thorem



thorem & denuntiatum transfert: sed denuntians quoque in lite manere, & tanquam principalis Reus respondere, ac illam peragere tenetur. *l. 1. C. ubi in rem actio. Bened. Carpzov part. 1. Jurispr. forens Const. 3. defin. 28. & lib. 3. tit. 2. Respons. 20. Berlich. part. 1. conclus. 24. num. 103. & seqq.* Unde etiam sententia in ipsum fertur. *C. 1. A. tit. de Evict. num. 12.* Denuntiatum verò tantum causam instruit, denuntianti adssistit, eundemque adversus Actorem defendit. *l. 29. §. f. Ibi: ut de ea re agenda adssit. l. 74. §. 2. Ibi: sed ad rem defendendam ff. de Evict. l. 49. ibi: venditor ab emptore denuntiatum, ut eum Evictionis nomine defenderet, ff. de Iudic. l. 20. l. 21. Ibi: ut tibi adssistat causamq; instruat C. de Eviction. Vmm. disp. 11. ad process thes 91. num. 37. in fin.* Quæ omnia Elector. Saxon. probavit in *Ord. Process. Iudic. tit. 14. §.* *Wurde aber der / welchem lis denuntieret / erscheinen vnd den beklagten vertreten wollen / ist ihm solches zuthun dergestalt frey gelassen / daß er gleichwohl beklagten hierdurch der Rechtfertigung nicht gänzlich entledigen / sondern ihm allein adssistiren / oder aber an statt / vnd von wegen desselben defensorio sive procuratorio nomine die Sachen außführen möge / der Beklagte aber nichtes weniger in lite bleiben / vnd derowegen auch das Urtheil / so dar auff erfolgt / wieder ihn vollstreckt werden. vide etiam Jus Provinciale Wirtembergicum, part. 2. tit. 15. §.* Es soll auch *Ibi* Beystandt leysten möge.

## XX.

Ex quibus omnibus simul apparet, quâ formulâ hæc Nominatio in Iudicio proponenda sit. Non enim sufficit nuda Domini Nominatio, & demonstratio; Berlich. part. 1. Conclus. 24. num. 126. sed insuper requiritur, ut causa quoque Nominationis exprimatur & adjiciatur: nimirum ut dicat, se non suo, sed, exempli gratia, Titii nomine rem, quæ petitur, possidere, & propterea ipsum Titium vocandum, & conveniendum, se verò dimittendum esse. *Vmm. disp. 11. thes. 11. num. 48.* Georgius Obrechtus, *disp. 12. part. 1. thes. 153.* talem refert formulam: *Non teneor ad actionem propositam respondere: quia res, quæ ab Actore petitur, non mea est: sed Mœvii; cuius nomine eam, ut conductor possideo. Quare peto, certo*

certo



certo constituto termino, Mævio hoc significari, ut vel ipse veniat, vel procuratorem mittat, & intentionem actoris excipiat. Hæc autem Nominatio vivâ voce, an scriptis fiat, nihil interest. Hermannus Vultejus *ad d. l. 2. C. ubi in rem act. num. 17. cum Azone*, requirit, ut Reus conventus Judici libellum supplicem offerat, & in eo Nominationem faciat. Verùm scriptura in nullo actu necessaria est: nisi lex illam specialiter desideret. *Barbosa lib. 17. axiom. locupl. cap. 13. axiom. 4.* In nostra autem *l. 2.* nulla scripturæ fit mentio; sed tantùm dicitur, quod Reus dominum Nominare debeat: quod non minus verbis ore nuncupatis & vivâ voce, quàm literis fieri potest.

## XXI.

Nominationem rite & legitimè factam, sequitur ejus Effectus; qui respicit vel Iudicem, vel Actorem, vel Nominatum, vel Nominantem. Iudex, coram quo Actor suam Actionem, Reus verò Nominationem proposuit, certum Domino præfigere debet terminum, intra quem compareat, & rem suam defendat. *l. 2. ibi, CERTO DIERUM SPATIO à JUDICE DEFINIENDO. C. ubi in rem actio. cap. ult. §. f. Extra, ut lite non contest.* Et si Iudex hoc ipsum denegaret, justa esset ab eo Appellandi causa. *arg. c. 11. Extra, de Procurat. S. Richardus ad h. l. 2. num. 4.* Terminus, *in h. l. 2.* definitus non est; proinde Iudex pro suo arbitrio, consideratâ locorum distantia, *Clem. 1. de Iudic.* illum moderabitur, secundum regulam *in l. 1. C. de dilat.* præscriptam. *Gothofred. ad l. 2. C. ubi in rem actio. Perez. in Cod. d. t. num. 4.*

## XXII.

Termino à Iudice statuto, ipse, ut Domino Nominato denuntiatur, necesse est. *l. 2. ibi: Certo dierum spatio à Iudice definiendo, EOQUE AD NOTIONEM EIUS PERDUCENDO. &c. C. ubi in rem actio.* A quo autem hæc Denuntiatio fieri debeat; diversæ sunt Dd. sententiæ. Mynsingerus *ad d. cap. ult. num. 46. Extra, ut lit. non contest.* hanc denuntiationem à Nominante faciendam esse, existimat; illumque sequitur Ummius, *d. disp. 11. thes. 10. num. 71.* Verùm illam ad officium Iudicis pertinere, docet post Petrum Cynum, Castrensem, & Bartolum, Berlichius,



*Part. 1. Conclus. 24. num. 129.* Sichardus, *ad l. 2. C. ubi in rem act.*  
*num. 11.* Obrechtus, *disp. 12. part. 1. thes. 156.* Nam ad quem spectat termini constitutio, ad illum quoque pertinet illius denuntiatio. Coniunguntur enim hæc duo simpliciter & immediatè *in d. l. 2. Ibi: Cerro dierum spatio à Iudice definiendo, eoq; ad notionem ejus perducendo.* Ad iudicem autem termini definitionem pertinere extra controversiam est, & *dd. verbis evidentissimè probatur.* Atque hæc sententia eo magis amplectenda & retinenda erit, cum ipsa, ipsis dissentientibus fatentibus, usu & consuetudine, quæ est optima legum interpres, *l. 37. ff. de LL recepta & approbata sit. Vult. ad d. l. 2. num. 15. in fin. Vinn. d. l. Formulam hujus denuntiationis talem refert Obrechtus. d. disp. 12. thes. 157: Sempronius contra Colonom tuum Actionem in rem instituit; eaque prædium à Colono tuo possessum suum esse, sibi que restitui petit. Et quia Colonus te ut dominum prædii in Iudicio nominavit; idcirco significamus tibi, ut ad diem 20. mensis Novembris præsentis anni, coram nobis compareas: & si tua interesse putaveris, prædii controversi defensionem (Actionem) suscipias. Sumptus verò hujus denuntiationis ipse Nominans suppeditare tenetur. Berlich. part. 1. Conclus. 24. num. 130.*

## XXIII.

Termino constituto & nunciato pendente, in causa illa quiescit officium Iudicis. Termino verò elapso, si Nominatus veniat vel per Procuratorem compareat, Actoris intentionem suscepturus, Iudex secundum communem Iudiciorum ordinem procedit, & tandem suâ sententiâ causam dijudicat. Ast si Nominatus ad illam denuntiationem, neq; ipse, neq; per Procuratorem se sistat, lis pro contestata habetur, & Iudex Edictis legitimis proponendis eum citare curabit. *d. l. 2. C. ubi in rem actio. h. e. tribus dilatoriis Citationibus, vel una peremptoria: ita tamen ut in hac trium terminorum conglutinatio fiat. cap. f. §. in aliis verò, Ibi: dominum possessionis Iudex tribus edictis legitimis evocabit. Extr. ut lit. non contest. Obrecht. disp. 12. part. 1. thes. 162. Vult. ad d. l. 2. num. 25. Berlich. d. conclus. 24. num. 136. Myns. ad c. f. num. 56.*

An



An verò hæc Nominati evocatio fieri debeat per privatam, an verò per publicam, puta Edictalem Citationem, hîc prætereundum non est. Posterius suadere videntur illa *d. l. 2.* verba: *Edictis legitime proponendis. Vide l. 1. §. 2. ff. de requir. Reis.* Ubi Edictis evocare, & privatas Citationes mittere, tanquam diversa sibi invicem opponuntur. *Gloss. tamen ad d. cap. ult. Voc. Edictis,* Citationes ad domum Nominati mitterdas esse docet; pro qua facit generalis Juris regula, quod Citationes Edictales non locum habeant, nisi in casibus necessitatis, quando alio modo quis citari nequit. e. g. Si citandus Citationem ad se pervenire impediatur; Vel ejus locus & domus tutè & liberè adiri non possit; aut ignoretur; ubi ipse degat. *Clem. 1. de Iudic. Benedict. Carpzov. part. 1. Jurisp. forens. Constit. 2. def. 29. num. 2. & 3. Rosbach. prax. Civil. tit. 27. num. 2. Gail. 1. Obs. 57. in pr. & num. seqq.*

## XXIV.

Quod si Nominatus, & dicto modo citatus, præsentiam suam faciat, Jus suum defensurus, Judex iterum ordinario Judicii ordine observato in causa procedit. Verum si spretis illis citationibus, nedum quidem compareat, Judex primò causam summam cognoscit. *d. l. 2. ibi, Negotium summam discutiens. d. c. f. §. f. Ibi: negotium summam examinans,* & an Actori jus aliquod competat, ejusq; actio fundata sit, examinat. In qua ipsa tamen summam causæ cognitione, non plenæ exiguntur probationes; sed etiam præsumptiones, conjecturæ, & minus plenæ admittuntur; ita ut interdum etiam juramento Calumniæ negotium committatur; & hoc ob calumniam ipsius Nominati. *Gloss. in cap. ult. §. ult. Extr. ut lite non contestat. verb: summam. Vult. ad h. l. 2. num. 23. vide Sichard. ad d. l. 2. num. 17, & Myns, ad c. f. num. 58. Vmm. disp. 11. th. 10. num. 44.*

## XXV.

Causa summam cognitâ, & jure Actoris aliquo modo probato, Secundò, Judicis officium est, ut Actorem in possessionem rei controversæ mittat. *h. l. 2. Ibi: in possessionem rerum actorem mitti non differet. d. c. ult. §. ult. ibi: in possessionem ipsarum rerum Actorem mittere non tardabit. Extr. Ut lite non contestat.* ita tamen, ut, Tertiò, Nominato absenti jus proprietatis, si quod habet, & petitorium salvum reservet. *h. l. 2. Ibi: Omni allegatione absenti de principali questione reservatâ. cap. ult. in f. extr. ut lit. non contestat.*



Relicto Judice, veniamus ad Actorem; & quid ipsi boni afferat nostra Nominatio, videamus. Nominatione in Judicio factâ, & termino à Judice constituto pendente, Actor quoq; interim acquiescere, & finem temporis Nominato assignati expectare tenetur. *Berlich p. 1. concl. 24. num. 131.* Quo elapso, si venerit Nominatus, Actor libellum, Nomine Rei saltem mutato, contra ipsum dirigat, repetatq;. *Hillig, ad Donell. Enucl. lib. 20. c. 3. lit. 1. Sichard. ad h. l. 2. num. 13. Berlich. d. concl. 24. num. 133.* & reliqua, quæ Actori incumbunt, adimplens, tandem Judicis sententiam audiat. Verum si Nominatus post denuntiationem sibi factam, sui copiam facere neglexerit, nec per procuratorem litem susceperit, Actor omnem futuræ præscriptionis metum deponat, & Judicem, ut nominatum edictis legitimis evocet, urgeat. Durante verò Nominati contumaciâ, ipse Judici summam cognitionem Actionis suæ fundamenta demonstrans ab ipso in possessionem mittitur; & verus rei controversæ possessor constituitur. *h. l. 2. & cap. f. §. f. Extra, ut lit. non. contest. Vultej. ad l. 2. num. 23. Bachov. Vol. 2. ad Tr. disp. 24. th. 1. lit. a. pag. m. 510.* Nam Nominans ab initio in ipsâ Nominatione factus est, se non possidere, sed tantum alterius nomine in possessione esse. Nominatus vero eo ipso quod contumaciter emanat, etiam fateri videtur, se non possidere. Nec enim verisimile est, ipsum citatum emanfurum fuisse, si possideret. Merito itaq; rei controversæ possessio in Actorem, qui aliquo modo suæ intentionis fundamentum probavit, transfertur; *Vultej. d. l.* & quidem, uti antea quoq; dictum, vera, plena & non asinina possessio; cum Nominato tantum petitorium reservetur. *Bachov. vol. 2. disp. 24. th. 2. Berlich. part. 1. Concl. 24. num. 136. Sichard. ad h. l. 2. num. 18. Vmm. disp. 11. th. 10. num. 44. Myns. ad cap. ult. num. 59. Extr. ut lit. non. contest.* Nec Nominato, etiamsi ipse intra annum reversus fuerit, Actor possessionem restituere cogitur. Durius enim agitur cum eo, cui prius intra certum terminum controversia mota denuntiata est, & qui insuper post illum terminum, ut se sisteret, & Judicium susciperet, tribus edictis citatus contumaciter abesse perseveravit, cujusq; adversarius suæ intentionis fundamentum aliquo modo probavit. *Bachov. Vol. 2. ad Treutl. vol. 2. disp. 24. th. 2. lit. e. pag. m. 528. Mynsing. ad cap. ult. num. 60. Extr. ut lit. non. contest.*

Quod



## XXVII.

Quod attinet Nominantem, ipse post Nominationem factam ulterius progredi non tenetur, sed lite in totum eximitur. *Anna Robert. lib. 4. rer. Judicatar. cap. 9.* ubi ita quoque iudicatum esse refert, *Berlich. part. 1. conclus. 24. num. 131. Vult. ad h. l. 2. num. 22. Schwartzenthal. lib. 1. process. Iud. act. præp. 6. Ibi:* Et hoc pacto Nominatione factâ instituitur rectâ adversus dominum processus, ut is suo nomine defendat causam, Reusq; ab observatione Iudicii absolvatur. Aut enim Nominatus venit in Iudicium, aut non venit. Priori casu, ipse Nominatus litem in se suscipit, & causam suam defendit. *d. l. 2. Ibi: Actoris intentiones excipiat. d. c. ult. §. f. Extra, ut lite non contest.* Posteriori verò casu, Possessio in Actorem defertur, atque eo ipso litem illa finitur. *d. l. 2. d. c. f.* Quod ipsum quoque expressè confirmavit Elector. Saxon. *in Ordin. Process. Iudic. cap. 14. §. ult. vers.* Es were dann / daß der Beklagte das jenige / darumb er beklaget wird / nicht vor sich selbst / sondern von eines andern wegen innen hette / und vor der Krieges Bevestigung / den / welchem es zugehöret / angäbe und ihm den Krieg anzukündigen / hette / den auff solchen falle / wurde er sine expensarum refusione biltlich ex lite gelassen / und die Sache wieder den rechten Herren des Gutes außgeföhret.

## XXVIII.

Tandem sequitur Nominatus; qui ad primam litem motæ & Nominationis factæ denuntiationem vel per se, vel procuratorem comparere, & intentiones Actoris excipere, hanc causam in se suscipere, debet, & quidem non tanquam defensor, sed ut principalis Reus. *h. l. 2. cap. ult. §. f. Ibi: ut vel ipse veniens, vel idoneum dirigens responsalem (i.e. Procuratorem, Myns. ad d. cap. num. 50) actoris intentionem excipiat. Extra, ut lite non contestat. Vult. ad h. l. 2. num. 22.* Quod ipsum si fecerit, omnia Jura sua integra & salva retinet, illaque excipiendo contra Actorem defendit. *Vmm. disp. 11. ad process. thes. 10. num. 43. Mynsing. ad cap. ult. num. 49. Extra, ut lit. non contestat.* Verum si neglectâ illâ denuntiatione emanerit, litem Juris fictione pro contestata habetur, ac longi temporis præscriptio interrupta censetur; & quidem ex eo tempore, quo nuntians ad Iudicium vocatus, *b. l. 2. Ibi, si verò post hujusmodi indultum tempus, minimè hoc quod dispositum*



rum est, facere maluerit: tanquam lite quæ ei ingeritur ex eo die quo possessor ad Iudicium vocatus est ad interrumpendam longi temporis præscriptionem contestata. *d. c. ult. § fin.* Is enim in dictis verbis dicitur possessor, qui alterius nomine possidet. Nam ipsi statim dominus possessionis opponitur. *Berlich. part. 1. Conclus. 24. num. 135. Vmm. disp. 11. thes. 11. num. 50. Myns. ad c. ult. num. 55. extra, ut lite non contest. Diss. gl. ad d. cap. ult.*

## XXIX.

Cæterum si Nominatus subsecutis citationibus paruerit, lis quidem quo ad Effectum interruptæ longi temporis præscriptionis, adhuc quasi contestata censetur; cætera autem omnia, sive ea processum concernant, sive causæ merita, adhuc ipsi sunt integra. *arg. d. l. 2. Vult. Ibid. num. 23.* Contra verò si Nominatus in contumacia perseveraverit, & præviâ causæ cognitione, Actor in possessionem missus fuerit, ipse omninò possessionem suam amittit, ita ut illam nullo possessorio remedio recuperare possit, solo petitorio ipsi reservato, *h. l. 2. in fin. absentis de principali questione reservatâ. cap. ult. §. f. Ibi, omni allegatione absentis super principali questione reservatâ. Extr. ut lit. non contest.* Per principalem siquidè quæstionem in dictis verbis sine dubio intelligitur Rei vindicatio. *Bachov. ad Tr. vol. 2. disp. 18. th. 6. lit. C. verb. illud verius puto. pag. m. 53. Peretz. in Cod. tit. Vbi in rem act. num. 3.* Si itaq; Nominatus rem ab priore Actore, & nunc legitimo possessore repetere velit, ipsum Actoris vices sustinere, & probationis onus subire oportet; ita ut ex Actore Reus, & ex Reo Actor fiat. *Donell. Comm. lib. 20. cap. 3. Berlich. parte. 1. Conclus. 24. num. 136.* Ab hac autem vindicandi potestate non anno, sed legitima demum præscriptione 3. 10. vel 20. annorum excluditur. *Berlich. d. l. 137. adeò ut nec Judex breviorum terminum peremptorium præscribere valeat. Berlich. d. l. num. 138. & seq. Vmm. disp. 11. th. 10. num. 45. Mynsing. ad cap. fin. num. 65. Extr. ut lite non contestata.* nisi Nominati diffamatio præcesserit. *Myns. d. l. num. 66.*

## XXX.

Cum Nominatione, de qua hætenus actum est, cognitionem aliquam habet Litis Denuntiatio sive Authoris Laudatio; adeò ut nonnulli hæc duo planè confundant negotia, & pro uno eodemque accipiant. *vide Berlich. part. 1. conclus. 24. num. 140,* ubi tamen



men sex enumerat differentias, quæ inter nostram Nominationem & Litis denuntiationem intercedunt: quibus addi potest septima à causa Efficiente remota desumpta, de qua, ut & aliis differentiis superius quoq; pro instituti ratione egimus. Et hæc pro temporis ratione de Nominatione. Ut autem amplior sit disputandi materia, sequentes adjiciemus conclusiones.

## CONCLUSIONES.

I.

*In Statu quoq; Monarchico Consuetudo posterior legem priorem contrariam abrogat.*

II.

*Etiã de Iure Civili Noverca sine venia in Ius vocari potest.*

III.

*Non omnis dolus infamat.*

IV.

*Actio Negotiorum Gestorum & communi dividundo concurrunt.*

V.

*Caupones etiã invitati iter agentes recipere tenentur.*

VI.

*Fratribus uterinis nec novo Iure competit querela inofficiosi testamenti. Si tamen fratres consanguinei obtinuerint, & testamentum rescissum fuerit, horum victoria illis quoq; prodest.*

VII.

*In Rei Vindicatione Reus condemnatur, etiã si Actor dominium rei controversæ, demum post litem contestatam acquisiverit.*

VIII.

*Cautio usufructuaria à testatore remitti nequit.*

IX.

*Servitutis per ultimas voluntates constituuntur etiã sine quasi traditione.*

X.

*Actio Legis Aquilia non est famosa.*

XI.

*Dantur mixtae actiones.*

XII. Actio



XII.

*Actio de seruo corrupto non est annua.*

XIII.

*Actio ex Iure Iurando pertinet ad Iuramentum Voluntarium.*

XIV.

*Ex geminato pacto etiam Iure Civili datur actio.*

XV.

*Exceptio compensationis cessionario quoque opponi potest, sive utili sive directâ actione agat.*

XVI.

*Actio mandati interdum etiam datur ad honorarium petendum.*

XVII.

*Actio pro Socio non datur ad rerum divisionem.*

XVIII.

*Emptione cum in diem adiectione, sub conditione resolutive contractâ, si existat conditio, fructus interim ab emptore percepti cum re ipsa sunt restituendi.*

XIX.

*Merces locationis ob ubertatem augeri nequit.*

XX.

*Pactum, ne debitori hypothecam alienare liceat, est utilissimum.*

XXI.

*Pignus rei aliene valet.*

XXII.

*Edictum AEdilitium non locum habet in locationibus.*

XXIII.

*Vsura in Iure Civili in stricti Iuris Iudiciis regulariter tantum ex stipulatione debentur.*

XXIV.

*Debitor in causa Creditoris potest esse testis.*

XXV.

*Iure Civili etiam unius disensu & renuntiatione dissolvuntur sponsalia.*

XXVI.

*Dotis constitutio non rectè refertur ad Contractus Reales.*

XXVII.

*Maritus res dotales mobiles alienare non prohibetur.*

XXVIII.

*Actio rerum amotarum, regulariter non datur constante matrimonio.*

Debitor



XXIX.

*Debitor & Creditor nec testamento tutores constitui possunt.*

XXX.

*Ad Tutoris testamentarii legitimationem, non sufficit testamenti, in quo constitutus est, exhibitio.*

XXXI.

*Testamentum à filiofam. factum, nec vi clausula Codicillaris valet, et si pater consenserit.*

XXXII.

*Legatariis Iure Digestorum non competit tacita hypotheca.*

XXXIII.

*Legata nuda voluntate coram duobus testibus declarata non revocantur.*

XXXIV.

*Modus non facit conditionem.*

XXXV.

*Donatarium, cui omnia bona donata sunt, successorem universalem esse, falsum est.*

XXXVI.

*Donatio in casum mortis Titio, vel heredibus ejus facta, est mortis causa donatio.*

XXXVII.

*Donatio, mentione mortis facta, ita tamen, ut nullo plane modo revocari possit, inter vivos facta censetur.*

XXXVIII.

*Donatio mortis causa absenti & ignorantibus facta, defenditur Iure fidei commissi.*

XXXIX.

*Dominus fundi, in quo thesaurus à tertio inventus est, contra inventorem quoad dimidiam partem habet Rei Vindicationem.*

XL.

*Thesaurus magicis artibus à tertio inventus, domino fundi acquiritur.*

XLI.

*Per longissimi temporis prescriptionem possessori non tantum exceptio, sed interdum etiam dominium acquiritur.*

XLII.

*Etiam Creditores Conditionales mittuntur in bonorum possessionem.*

XLIII.

*Actio Pauliana est realis.*

D

Inter-



XLIV.

*Interdictum Quorum Bonorum non pertinet ad res incorporales.*

XLV.

*Non omnes exceptiones peremptoria perpetua sunt.*

XLVI.

*Stipulatio sine causa facta ipso iure subsistit.*

XLVII.

*Fidejussio etiam obligationi civili tantum accedere potest.*

XLVIII.

*Fidejussor usuras illicitas, quas ipse creditori solvit, à debitore repetere nequit.*

XLIX.

*Interdum Pupillo sine Tutoris autoritate rectè solvitur, ita ut statim liberetur Creditor.*

L.

*Crimen laesae Majestatis non nisi à Subdito committitur.*

Ad

*Nobilissimum & Clarissimum***DN. JOHANNEM BERNHARDUM  
LEONEM, I. U. Candidatum meritissimum &c.****E, LEO, quò ceptis peragendis mente virilibus  
Sis praesens, magnum hoc nomen hono-  
nosque monet.****Magni animi, & constans in rebus more  
LEONIS.****Justis, ingenuus, fraude, doloq; carens,  
Atq; solent veluti parcè dormire LEONES,****Sapius at praedis invigilare suis:****Sic non pro studiis sectaris tu Otia Vana,****Semper at incumbis nocte dieq; Libris.****Iusti confidunt instar tibi Christe Leonum;****Te Leo de Iuda servet ubiq; tribu.***Ex animo**Johann Ulricus Pregelzer D. Professor, Ecclesiae**Tub. Praepositus, & Universitatis Cancellarius.**Præcla-*



*Praclarissimo V.*

**DN. JOH. BERNHARDO LEONI, Holsato,**

**JUR. Candidato Splendidissimo:**  
*Amico longè Charissimo, omnem felicitatem*  
*prec.*

Thomas Lanfius.

**H**actenus exemplum in Studiis pralustre dedisti,  
O commilitii gloria rara, LEO!  
Nec minus eminuit Pietas tua, & inclyta Virtus,  
Officia officiis addere semper amans:  
Ut mirum non sit, si te Themis alix coronet;  
Iustitia fasces credere prompta Tibi.  
Eja age, chare LEO, Patria te redde, Patriq;  
Eac simub, ut Patria quondam habeare Pater!

**T**E, LEO, condecorat virtus, & laudibus ornat:  
Sedulitatis honos, & pietatis amor.  
Quin te præclare celebrat memorabilis unum:  
Fama per Eoas occiduasq; plagas.  
Sis porro felix! summus moderator Olympi:  
Fauftum successum det studiisque tuis.  
Læteturque Pater, lætetur Patria tellus,  
De Gnato ut capiant gaudia mille suo.

**JOHANNES WURMSERUS, U. I. D.**  
*Canonic. Sanct. & Placit. Feudal.*  
*Profess. Ordinar.*

**E**Rgo Themis meritas tandem superata Corollas:  
Victori devicta paras? ea premia magnum  
Te tribuente manent, mundi Regina, laborem?  
Lipsia, Misniaca decus ac laus Incluta gentis,

*Mulsarum:*



*Musarum non fictus amor, quæ prima LEONEM  
 Excepit, varias animum coluisse per artes  
 Viderat, ac magnum fatis felicibus orbem  
 Casarei, laudes inter, decurrere juris.  
 Viderat & docta mox voce animare cathedram,  
 Et domini vera à falsis defendere jura,  
 Hinc discedenti certa præconia laudis  
 Nec dubios, vero augurio, promittit honores.  
 Mox Nicer ingenium miratur, & inde laborem,  
 Iamq; eadem sentit postquam res ille relictas  
 Legato, prompta laudatus voce tuetur.  
 Hic modo Marcellus, tum Paulus, mox Macer inde  
 Alfenus, dictique vocatur Scævola testis,  
 Et quicquid veteres juris dixere periti,  
 Et quicquid Themidos mystæ scripsere recentes.  
 Hinc merito laudes & præmia digna capebat,  
 Cui legum & sancti tanta observantia juris.  
 Ipse ego festino tibi grator talia versu  
 Docte LEO, & faciles abeunti chare Viales  
 Apprecor ac cunctis quævis felicia cœptis.*

Paucis his Clarissimo Dn: Candidato  
 Amico pl: colend. gratulari  
 debuit

ERICUS MAURITII.

F I N I S.











94 A 7350

ULB Halle 3  
000 963 828




Sb.

V 17









DEF  
lin qua  
e more  
trami  
m, qu  
Fallor  
ncitat  
deris s  
ut obl  
Amice  
lacte  
d. un  
subina  
audias  
isq. P  
te  
excu  
fic  
5. leg  
ge dit  
6. lin  
nes. I  
et.



15

DISPUTATIO  
*De*  
**NOMINATIONE,**

*Ad*  
**L. II. Cod. Vbi in rem actio  
exerceri debeat.**

*Quam*  
Auctoritate & Decreto

Amplissimi Jureconsultorum Ordinis,

PRÆSIDE  
**WOLFGANG-ADAMO Lauterbach/**  
U. J. D. & Professore,

*Pro privilegiis Doctoralibus  
in utroq. iure consequendis,*

Ad diem August,  
*Publico examini subicit*

IOHAN: BERNHARD LEO,  
Wilttermarus.

**TUBINGÆ,**  
Typis JOHANN: ALEXANDRI CELLI.

Anno M. DC. LIII.

16.

